

DIVI THOMAE  
AQUINATIS, IN  
BEATI IOANNIS  
APOCALYPSIM  
EXPOSITIO,

*Nunc primum è tenebris eruta*

Cum Indice, & duplici Tabula, Lo-  
corum sacrae scripturae, &  
Questionum.



FLORENTIAE  
Apud Laurentium Torrentinum

1549

*Cum Privilegio.*

COSMO MEDICI  
DVCI FLORENTINORVM  
ILLVSTRISS. HETRVRIAEQVE  
PRINCIPI BENIGNISSIMO. S.



*AE* Penumero hoc mecum cogitavi, Magnanime Princeps, Publico ne quodam testimonio grati animi indicium aliquod relinquerem, quo quantum tibi deberem declararem; an beneficia tua liberalitate clementiaque potius fretus, in sincere perpetuaque meae erga tam munificum Principem observantiae conscientia acquiescerem. Nam cum ingenij mei vires, quae per exiguae sunt, considero, ac meo me pede moduloque metior; dictu mirum quam hic meus pie susceptus conatus remittatur ac fractus plane concidat, ut pote qui probe noverim praestantem illam tuam uirtutem, ac gloriam illam solidam & expressam minimeque adumbratam (cuiusmodi consilium ab Aristotele datum Alexandro Magno legimus) exprimi debere, non a quouis artifice; sed uiris duntaxat (quales nostra non paucos tulit aetas) ingenio, doctrina, eloquentiaque claris; quorum consentiente, uera debi-



Cum hanc Gilberti Pictaviensis præfationem magna ex parte D. Thomas in sequenti contextu interpretaretur; libuit hoc loco totam præfigere, etiamsi in vetere nostro codice non haberetur.

GILBERTI PICTAVIENSIS PRAEFA-  
TIO IN APOCALYPSIM  
B. IOANNIS.



**M**NES qui pie volunt vi-  
uere in Christo ( sicut ait  
Apostolus) persecutionem  
patientur: Juxta illud, Fili  
accedes ad seruitutem Dei,  
sta in iustitia & timore, &  
præpara animam tuam ad  
tentationem. Tentatio namque est vita ho-  
minis super terram. Ne autem Fideles in his  
deficiant; cōsolatur eos dominus atque con-  
firmat dicens: Vobiscum sum vsque ad cō-  
summationē seculi: Et: Nolite timere passi-  
lus grex. Propterea videns Deus pater tribu-  
lationes quas passura erat Ecclesia, ab Apo-  
stolis fundata super petram Christum vt mi-  
nus timeantur disposuit vnā cum Filio &  
Spiritu sancto, eas reuelare. Reuelauit autē  
tota Trinitas Christo secundum humanita-  
tem: Christus vero Ioanni per angelū. Ioan-  
nes Ecclesiæ, de qua reuelatione hunc librū  
composuit. Vnde & liber iste Apocalypsis  
dicitur id est Reuelatio; quia hic continen-

58

EXPOSITIO  
D. THOMAE AQUINATIS IN APOCALYPSIM BEATI IOANNIS APOSTOLI.

PROOEMIUM.



**V**OX DOMINI PRÆPARANTIS CERUOS ET REVELABIT CONDENSE. In his verbis diligenter inspectis, datur via introducens in hunc librum qui dicitur Apocalypsis. In ipsis enim verbis notari possunt quatuor cause, quæ circa eundem librum habent attendi: Videlicet, Causa efficiens, finalis, formalis, materialis. Causa efficiens principalis, est ipse Deus. Beatus Ioannes est causa efficiens mysterialis, cui dominus ea quæ hic continentur ostendit. Unde dicitur: **V O X D O M I N I**, scilicet & interna & spiritalis, qua in corde beati Ioannis loquebatur, facies eum effaciter intelligere, quæ per Angelum dignabatur ostendere. Vox enim Domini virtuosa est ad docendum interiori. Psal. Vox Domini in virtute. Sic ergo ostenditur causa efficiens principalis; & insinuatur causa mysterialis, scilicet ille, ad quem facta est vox Domini. Causa finalis est, vt per recitandam fidem & patientiam in aduersis, fideles aptiores & agiliores reddantur ad apprehendenda premia vitæ. Unde sequitur: Præparantis ceruos, vox domini est, id est præparantis fideles ad agilitatem currendi ad brauium. Ceruus enim animal est velocissimum. Psal. Qui perficit pedes meos tanquam ceruorum. Hoc enim intendit beatus Ioannes, sicut ex Prologo colligitur, vt per recitandam fidem, & per patientiam in aduersitate multi-